



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 170. Vt scriptura impleretur, dicens: partiti sunt vestimenta mea sibi &
in vestem meam miserunt fortem. v. 24.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

O Mnis Iesu, ô animæ meæ solatium, quid animæ meæ fiet, nisi à tua divina providentia aliqua mihi hæreditatis aut sortis pars fuisset destinata? Nunc autem divitem me fecisti in omnibus bonis Ecclesiæ tuæ sanctæ in doctrina, in regimine, in sacramentis. Benedicam igitur te omni tempore, semper laus tua in ore meo.

§. 170. *Vt scriptura impleteretur, dicens: partiti sunt vestimenta mea sibi & in vestem meam miserunt sortem. v. 24.*

Quomodo intelligendum sit illud, *ut scriptura impleteretur*, alias dicitur, non quod scriptura Deo dominaretur, & iste, tanquam Iupiter stygiæ paludis formidini, esset obnoxius literis, nequaquam. Sed, ita ut Iudæus habens scripturam, & illa gloriari volens videat implem esse, quod ipsa dicit, & iam non possit negare implem esse, quod mallet expectare. Quod igitur gentibus scripturam non habentibus signi datur; unde credant aliud sane genus, nimirum signa autem eos qui crederint hæc sequentur in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes colent, &c.

G Ratias ago tibi Domine Iesu, quod te omnibus aptas, sed unicuique secundum suam capacitatem, Iudæo per scripturam Gentibus per miracula. Sed quid facies Hæreticis nostris, qui se gloriantur habere scripturas & in ipsis vitam æternam? quomodo illos iuabis ut inter se tam dissentienter unam tractantes scripturam revertantur ad tuam Ecclesiam? credo quod eis præparasti sensum tuæ scissuræ tanquam optimum condimentum salutis. Sane illud qui gustarunt omnes ad tuam Ecclesiam poliminio redierunt, qui autem ad illam suorum scissuram oculos clauserunt mirum non est si foris manserunt, & manent. Tu eis dedisti cognitionem, quâ, si vellent, possent fugere à facie arcus.

§. 171. *Et milites quidem hæc fecerunt. v. 24.*

Omnia crudelia & horrenda in Christum, quæ usque huc in passione eius enarrata fuere, capiendo eum, ligando, illudendo, verberando, alapas dando, flagellando, spinis coronando, cruci clavibus affigendo, super vestibus sortem mittendo, ista sententia concludit S. Ioannes, quasi vellet dicere non tamen impune & multo minus impune sacerdotes, Pharisei, Scribæ, Seniores, Pilatus & Herodes, verum tamen horum iudicium recte transmittit ad tribunal Dei, & se mox convertit ad ea quæ Christus & eius amici egerint narranda, quæ tamen ipsa Passionis gravis experientia Domini